

## LIBER I

## MUSAM ALLOQUITUR

H1\_01 v.1 Nigris, Pieri, quae places ocellis,  
 2 et cantum colis, et colis choreas,  
 3 nigris, Pieri, grata dis capillis,  
 4 formosae quibus invident Napaeae,  
 5 dum gratos prope Sirmionis amnes  
 6 et crinem lavis et comam repectis,  
 7 ne tu, Pieri, ne benigna desis,  
 8 dum laetis salibus, sonante plectro,  
 9 alterno et pede balneas adimus.  
 10 Huc huc, hendecasyllabi frequentes,  
 11 huc vos quicquid habetis et leporum  
 12 jocosum simul et facetiarum  
 13 huc deferte, minutuli, citique.  
 14 Quod vos en pretium, aut manet voluptas ?  
 15 Inter lacteolas simul puellas,  
 16 inter molliculos simul maritos  
 17 ludetis simul atque prurietis.  
 18 Dum tractat tumidas puer papillas,  
 19 contrectat tenerum femur puella,  
 20 tractat delicias suas maritus,  
 21 tentat delictum suum puella,  
 22 et ludunt simul et simul foventur  
 23 lassi, languidulique, fessulique,  
 24 tunc vos, hendecasyllabi beati,  
 25 quot, quot oscula morsiunculasque,  
 26 quot, quot enumerabitis duella ?  
 27 Quot suspiria, murmura, et cachinnos ?  
 28 Cum furtim liceat sopore in ipso  
 29 contrectare papillulas sinumque,  
 30 occultam et femori admovere dextram.  
 31 Hos tu sed comites, Marine, vita,  
 32 Baianis quotiens aquis lavis,  
 33 tuas ne veneres libidinesque  
 34 et lusus referant salaciores,  
 35 sis et fabula, quod senex salaxque,  
 36 et thermas quoque balneas et ipsas  
 37 infames nimio supinus usu.  
 38 Hanc laudem potius tuo relinque  
 39 compatri. Chorus hunc puellularum  
 40 incanum sequitur ; colunt sed illae  
 41 non annos vetuli senis, sed aurum.

## PUELLAS ALLOQUITUR ADMONENS QUID SERVARE IN BALNEIS DEBEANT

H1\_02 v.1 Quae dulces modo balneas petistis  
 2 et corpus calidis aquis foveatis,  
 3 inepte facitis nimis, puellae,  
 4 inepte nimium parumque recte,  
 5 quod solae sine amantibus lavatis,  
 6 quod corpus sine amantibus foveatis.  
 7 Quare consilium senis probati  
 8 et rectum capite et probum bonumque :  
 9 gaudet blanditiis Amor jocisque,  
 10 amplexus petit, osculis foveatur ;  
 11 res est mutua ; mutuus Cupido  
 12 odit tristia solitudinemque.  
 13 Quid solae sine amantibus lavatis ?  
 14 Quid corpus sine amantibus foveatis ?  
 15 Curas pellite solitudinemque,  
 16 ite in gaudia, mutuos foveate  
 17 amplexus ; sine amante mutuum nil.  
 18 Quare nec sine amantibus lavate,  
 19 nec corpus sine amantibus foveate.  
 20 Intrastis calidas, vocate amantes,  
 21 intrastis calidas, foveate amantes,  
 22 sint haec mutua, sed nec ipsa muta.  
 23 Amplexus cupidi loquantur ipsi,  
 24 injectaeque manus loquantur ipsae  
 25 et dens blandulus ebriique ocelli,  
 26 sonent oscula, personent cachinni,  
 27 vincant murmura Cyprias columbas.  
 28 Hanc legem statuit Venusque Amorque,  
 29 hanc legem sibi balneae edidere :  
 30 "Nec solae sine amantibus lavate,  
 31 nec corpus sine amantibus foveate."

## DE BATILLA PUELLA IN BALNEIS

H1\_03 v.1 Baianas petiit Batilla thermas ;  
 2 dumque illi tener it comes Cupido  
 3 atque una lavat et foveatur una,  
 4 dum molli simul in toro quiescit  
 5 ac ludos facit improbasque rixas,  
 6 sopito pueroque lassuloque  
 7 arcum surripuit Batilla ridens ;  
 8 mox picta latus instruit pharetra,  
 9 et molles jacet huc et huc sagittas.  
 10 Nil o nil reliquum, miselli amantes,  
 11 nil his impenetrabile est sagittis :  
 12 heu cladem juvenum senumque Baias.

## AD HERMIONEN UT PAPILLAS CONTEGAT

H1\_04 v.1 Praedico, tege candidas papillas,  
 2 nec quaeras rabiem ciere amantum.

3 Me, quem frigida congelat senecta,  
 4 irritas male calfacisque : quare,  
 5 praedico, tege candidas papillas,  
 6 et pectus strophio tegente vinci.  
 7 Nam quid lacteolos sinus et ipsas  
 8 prae te fers sine linteo papillas ?  
 9 An vis dicere : "Basia papillas  
 10 et pectus nitidum suaviare ? "  
 11 Vis num dicere : "Tange, tange, tracta ? "  
 12 Tene incedere nudulis papillis ?  
 13 Nudo pectore tene deambulare ?  
 14 Hoc est ad venerem vocare amantes.  
 15 Quare aut contege candidas papillas,  
 16 et pectus strophio decente vinci,  
 17 aut, senex licet, involabo in illas,  
 18 ut possim juvenis tibi videri.  
 19 Tithonum, Hermione, tuae papillae  
 20 possunt ad juvenis vocare munus.

AD MARINUM TOMACELLUM DE LEGE BALNEORUM VIRGINIBUS DEDICATORUM

H1\_05 v.1 His virguncula thermulis lavetur,  
 2 nullam quae venerem integella sensit ;  
 3 his se balneolis lavet puella,  
 4 nullum quam tetigit viri cubile ;  
 5 hoc se fonticulo eluat sacerdos,  
 6 nullae quam recreent amoris aurae.  
 7 Quod si quae laticis sacri pudorem  
 8 et castum temerarit ausa fontem,  
 9 iratae timeat minas Dianae.  
 10 Haec lex est tabulae deae dicatae,  
 11 vis haec thermuleae dicationis.  
 12 Squalent hinc latices, Marine, sacri,  
 13 et serpunt hederæ deae sacello ;  
 14 nullae his virgineis aquis lavantur,  
 15 nec casta est quoniam, nec integella  
 16 seu virguncula, seu puella, sive  
 17 custos Romulei foci sacerdos.

AD MARINUM TOMACELLUM

H1\_06 v.1 Salaces refugis, Marine, Baias  
 2 et fontes nimium libidinosos.  
 3 Quid mirum ? Senibus nocet libido.  
 4 An non, o Tomacelle, vina prosunt,  
 5 et prodest senibus liquor Falernus,  
 6 et prosunt latices Thyoniani ?  
 7 An non et senibus, Marine, somnus,  
 8 et prodest requies, soporque prodest ?  
 9 Baiis somniculosius quid ipsis ?  
 10 Quid thermae nisi molle, lene, mite,  
 11 rorantes cyathos, merumque poscunt,  
 12 senum delicias, jocos seniles ?  
 13 Senex ad calices jocatur, idem

14 ludit ad cyathos ; senile vinum,  
 15 senilis sopor, et quies senilis.  
 16 Huc huc en propera, Marine. Verum  
 17 huc ipsis sine testibus venito  
 18 et lumbis sine ; nam quies senile est,  
 19 libido juvenile. Siccitasque  
 20 et tecum veniat sitis, fidelis  
 21 et senum comes atque balneorum.  
 22 Pergrate accipiere ; siccitasque  
 23 atque una sitis accubabit, ipse  
 24 miscebo tibi poculis minutis,  
 25 idemque e vario frequens lyaeo.  
 26 Hoc aetas jubet haec, sodalitasque,  
 27 hoc et balnea, sicculaeque arenae.

#### BALNEAE LOQUUNTUR

H1\_07 v.1 Nostrum si titulum, puella, nescis,  
 2 hic est : "Praegravida recedet alvo,  
 3 quae venit vacua" ; hoc habet tabella.  
 4 Quod vero officium tuum, meumque,  
 5 quae partes, moneam. Virum ipsa tecum  
 6 adducas validum, joci peritum,  
 7 cui telum viride et virens juventa ;  
 8 nec tu defueris comes jocanti  
 9 aut ore, aut femore, aut manu jocisve :  
 10 namque et balnea mutuam requirunt.  
 11 Nunc ad me venio, meumque munus,  
 12 quod sit, subjiciam. Tibi senex vir  
 13 si sit, nec validus, nec ore gratus,  
 14 nec aptus thalamis torive rebus,  
 15 mox tibi juvenis, decens valensque  
 16 qui sit, substituam, salaciorque  
 17 verno passere et albulis columbis,  
 18 cui rubro caput horreat cucullo.  
 19 Haec vis est tabulae vigorque fontis.  
 20 Quare si sapias, Marine, cum sis  
 21 effetus, fugies repente Baias,  
 22 vites balnea myrteumque litus,  
 23 elumbis, tremulus, macer, senexque :  
 24 setosum Hectora balneae requirunt.

#### AD DEIANIRAM PUELLAM

H1\_08 v.1 Cur, o Deianira, cur moraris  
 2 auroram cupidis referre terris ?  
 3 Cur non lumina paetulosque ocellos  
 4 in lucem exeris, ac diem reducis ?  
 5 Pellit sol radiis suis tenebras,  
 6 et lucem pariter diemque reddit ;  
 7 tu lucem referens tuis ocellis  
 8 pellas tristitiam et graves dolores,  
 9 et curas abigas benigna amantum ;  
 10 et, quod sol radiis, id ipsa ocellis

11 praesta, Deianira, amantibusque  
12 et lucem pariter diemque redde.

AD PETRUM COMPATREM NEAPOLITANUM

H1\_09 v.1 Quod cani tibi, Compater, capilli,  
2 et toto capite albicant pruinae,  
3 amplexus fugiunt tuos puellae,  
4 junxisse et femori femur recusant ;  
5 quod nec carminibus suis Apollo,  
6 nec blandis redimet jocis Thalia.  
7 Quaenam, quae tibi, Compater miselle,  
8 quae vita, aut quis erit modus querenti ?  
9 Hic est, quem tenerae timent puellae,  
10 quem cultae fugiunt nurusque, amorque  
11 omnis undique et undecumque et usque,  
12 usque et undique et undecumque et usque  
13 omnis horret amor, Venusque, Hymenque.  
14 Sed nil sit tibi, Compater, molesti,  
15 nec canos celerem aut time senectam,  
16 sed tristes animo repelle curas.  
17 Quod nec carminibus suis Apollo,  
18 nec blandis numeris dabit Thalia,  
19 id munus dabit aureus petenti,  
20 vel te ut lacteolae petant puellae.  
21 Quae tum, quae tibi, Compater beate,  
22 quae vita, aut quis erit modus jocanti ?  
23 Hic est, quem roseae volunt puellae,  
24 quem cultae cupiunt nurusque amorque  
25 omnis undique et undecumque et usque  
26 usque et undique et undecumque et usque  
27 omnis ambit amor, Venusque, Hymenque.  
28 Felix canities, senecta felix,  
29 arca cui nitet aureus capillus,  
30 horto cui riget aureus priapus.

LAETATUR DE REDITU FRANCISCI AELII

H1\_10 v.1 E Roma meus Aelius revisit  
2 dulcem Parthenopen, lares paternos :  
3 o lucem niveam diemque faustum.  
4 Antiquum video et bonum sodalem,  
5 et caram teneo manum, fruorque  
6 gratis colloquiis, fruor cachinnis  
7 et laetis salibus facetiisque :  
8 o vere niveum diemque faustum.  
9 Quid non pro reduci libens amico  
10 persolvam ? Puer, i, voca sodales  
11 Albinum, Elisiumque, Compatremque,  
12 et dulcem Altilium, bonum Marullum,  
13 ad cenam veniant : bibamus uncti,  
14 uncti, permadidi atque lippientes.  
15 Albinus numerum novem sororum,  
16 at monstra Herculea ebibat Marullus,

17 bis septem volo Compater puellas  
 18 Junonis, volo quot Deae marinae  
 19 cinxerunt niveae latus ministrae,  
 20 cum Trojam peteret misella mater ;  
 21 ductet Altilius ciens coronam,  
 22 saltans Elisius bibat quot olim  
 23 Didonis famulae penum struebant,  
 24 dum cenam profugo parat marito.  
 25 Me tot pocula totque totque totque,  
 26 tot me pocula juverint bibentem,  
 27 tot carchesia laverint madentem,  
 28 quotquot dii simul et deae biberunt  
 29 ad mensam Oceani patris vocati,  
 30 aut quot, dum illa canit, senex Homerus  
 31 siccavit calices, relevit obbas.  
 32 Dulce est ob reducem madere amicum.

AD ACTIUM SYNCERUM SANNAZARIUM

H1\_11 v.1 Quid cantus Siculae juvant avenae ?  
 2 Quid cantor Meliseus, aut amanti  
 3 prosunt partheniae tibi myricae ?  
 4 Aut quid capreoli decemve mala,  
 5 albo capreoli liti colore,  
 6 aureo mala ? Tibi quid, o quid, Acti,  
 7 prodest aut gemitus tener columbae,  
 8 aut quid sibila murmurantis Austri ?  
 9 Quare o Maenaliū nemus relinque  
 10 atque istas Amaryllidas, Tebennae  
 11 cultrices gelidae aridi et Tanagri,  
 12 et Baias pete myrteumque litus,  
 13 et litus cole myrteasque Baias.  
 14 Hic fas est juveni, hic licet puellae  
 15 certatim teneros inire lusus,  
 16 Hic et basia morsiunculasque  
 17 subreptim dare, mutuos fovere  
 18 amplexus licet, et licet joculari  
 19 impune ad cyathos, choros, lucernas.  
 20 Baianae hoc statuunt lavationes.  
 21 Hic seni liceat mihi duella  
 22 rixasque juvenum et puellularum,  
 23 ad pacem lepidam et jocum vocare,  
 24 miscere et lacrimis jocos, jocisque  
 25 rursum lacrimulas. Queretur Hyble  
 26 demorsam sibi lingulam : licebit  
 27 Hyblae purpureum proci labellum  
 28 insignisse nota. Dolebit Aulus  
 29 negatum sibi basium : licebit  
 30 triplex basiolum dedisse amicae.  
 31 Irata est quotiens Lyco Lycinna,  
 32 possum compositas ligare leges,  
 33 possum foederibus ligare amantes,  
 34 ut cenent pariter, laventur una,  
 35 atque uno simul ut toro quiescant,  
 36 conjuncto et simul ore suavientur,  
 37 et somnos agitent quiete ut una.

38 Has et delicias et hos lepores  
 39 praestabunt tibi balneae salubres,  
 40 Baiani(que) dabunt tibi recessus,  
 41 ut dicas : "Siculae valete avenae,  
 42 nimbo et valeat Tebenna monte ;  
 43 meme balneolae beent beatae,  
 44 nam Baias homines colunt deique."

UXOREM AC LIBEROS INVITAT AD DIEM NATALEM CELEBRANDUM

H1\_12 v.1 Dulces filiulae, paterni ocelli,  
 2 dulcis nate, patris tui voluptas,  
 3 et conjux, requies senis mariti,  
 4 mecum templa piis adite votis :  
 5 natalis meus est, deos rogate,  
 6 atque hunc atque alios agamus annos  
 7 fausto sidere, candidis lapillis ;  
 8 dum caros mihi redditis nepotes,  
 9 qui blanda oscula balbulasque voces  
 10 incompto simul ore blandiantur,  
 11 arguto simul ore suavientur.  
 12 Mox convivium villula propinqua,  
 13 securis animis, dolore pulso,  
 14 nocturnas ineamus ad lucernas.  
 15 Hic patri liceat seni Falernum  
 16 diffusum cyatho minutiore  
 17 roratim ingeminare ter quaterque,  
 18 dum lassos oculos sopor recondat.  
 19 At vos, quis pudor eripit Lyaeum,  
 20 nativaeque sitis levatur unda,  
 21 dulci intingite melle cinnamoque ;  
 22 haec sunt pocula virginis Dianae,  
 23 siquando ad superum dapes vocatur.  
 24 Tu myrtum foribus rosamque mensae  
 25 appone, et violis humum colora,  
 26 resperge et Cyprio domum liquore ;  
 27 nec desit lyra eburneusque pecten,  
 28 qui gratas Genio citet choreas :  
 29 et dulces Genium decent choreae.  
 30 Hunc vos, hunc hilares rogate, mentem  
 31 det recti cupidam simulque honesti,  
 32 permittatque alia a deis regenda.

AD ARIADNAM UXOREM

H1\_13 v.1 Uxor, deliciae senis mariti,  
 2 et casti thalami fides amorque,  
 3 per te vel viridis mihi senecta est,  
 4 quem curae fugiunt senem seniles,  
 5 qui seram supero senex senectam,  
 6 et canus juvenum cano furores ;  
 7 sed tanquam redeat calor juventae,  
 8 et sis cura recens amorque primus,  
 9 et primus furor, impetusque saevus,

10 antiquas volo suscitare flammās.  
11 Qualis floridulo nitens in horto  
12 nondum puniceas comas recludit,  
13 et jam puniceas comas recludit,  
14 ac rarum decus explicare quaerit  
15 quae laeto rosa ramulo refulget ;  
16 talis purpureis genis et ore,  
17 ut quae non tenerum cupit maritum,  
18 sed jam jam tenerum cupit maritum,  
19 cui prima oscula dedicet, suumque  
20 florem virginei dicet pudoris,  
21 suspirans viduo puella lecto  
22 fulgebas mihi, primulosque amores  
23 spirabas oculis, sinuque blando  
24 afflabas Arabum suos odores,  
25 fundebas Charitum suos honores,  
26 et laetum Cnidiae deae nitorem.  
27 Qualis fulgidulo renidet ore,  
28 quae cano vehitur decora cygno,  
29 cum compsit caput, et coma repexa  
30 procedit thalamo, novosque amores  
31 et novas parat excitare flammās :  
32 spirant omnia, qua comam reflectit,  
33 splendent omnia, qua reflectit ora ;  
34 talis, qua niveos pedes ferebas,  
35 et qua splendidulos moves ocellos,  
36 et qua per vacuum reflectis ora  
37 spirabas Cyprios tuosque odores,  
38 stillabas Syrium et tuum liquorem,  
39 omnisque ambrosiam refragrat aura.  
40 Qualis de croceo toro resurgens  
41 mane Aurora nigras repellit umbras,  
42 cum, lucem simul et diem reportans,  
43 irrorat teneros benigna flores,  
44 et spargit varios humi colores :  
45 rident prata, canuntque, murmurantque  
46 et fontes, volucresque, ramulique ;  
47 talis, de thalamo vocata, quando  
48 ad molles thiasos venis, canisque,  
49 pellis tristitias, metus, dolores,  
50 rixas, murmura, turbidos tumultus,  
51 irrorans animis quietem, amores,  
52 ludos, laetitias, jocos, lepores,  
53 lusus, gaudia, candidamque pacem,  
54 et spargis veneres cupidinesque :  
55 rident omnia et aerem serenas,  
56 et qui te juvenis videt, senexque,  
57 et quae femina, seu videt puella  
58 optatum cupiunt tibi maritum,  
59 felices tibi nuptias precantur.  
60 Tunc, ut de tenui solet favilla  
61 crescens igniculus focum repente  
62 flammis corripere, aridisque lignis  
63 quodcumque adjicies edit voratque,  
64 sic me de tenui levis favilla  
65 conceptus calor et nigris ocellis  
66 imas corripuit vorans medullas :  
67 urebat roseus per ora fulgor,



68 urebat niveus per ora candor,  
 69 urebat coma, myrreus capillus,  
 70 urebat tumidis latens papillis ;  
 71 mox cursans amor huc, et huc, et illuc,  
 72 et per guttura, per genas, manusque,  
 73 et per candida colla, perque frontem,  
 74 et per pectora, candidosque dentes,  
 75 ut jam non amoris, sed ignis esset,  
 76 qui seram quoque calfacit senectam.

AD BATILLAM DE AMARACO COLENDAM

H1\_14 v.1 Et mollem cole amaracon, Batilla,  
 2 et multo madidam fove liquore,  
 3 et sparsas digitis comas repone,  
 4 atque illas patulam reflecte in umbram,  
 5 lusum et delicias tuae fenestrae,  
 6 et rarum cupidi senis levamen.  
 7 Dum te prospicit hortulos colentem,  
 8 tondentemque comas, simulque ramos  
 9 in conum docili manu prementem,  
 10 miratur digitos, stupetque ocellos,  
 11 et totus miser haeret in papillis,  
 12 frigansque aestuat, aestuansque friget,  
 13 infelix simul et simul beatus.  
 14 Felices sed apes, nemus beatum,  
 15 quae circumvolitant leguntque flores,  
 16 et rorem simul et tuos labores  
 17 in tectis relinunt, liquantque nectar.  
 18 O qui mesopii liquoris auram  
 19 Hyblae et quaeritis, et valere Hymetum  
 20 Hyblam et dicite, mel Batillianum  
 21 ipsi quaerite. Sordet Hybla, sordet  
 22 vertex Atticus, et liquor Panhormi :  
 23 ite, et quaerite mel Batillianum.

AD BATILLAM

H1\_15 v.1 Cum rides, mihi basium negasti,  
 2 cum ploras, mihi basium dedisti ;  
 3 una in tristitia libens benigna es,  
 4 una in laetitia volens severa es.  
 5 Nata est de lacrimis mihi voluptas,  
 6 de risu dolor. O miselli amantes,  
 7 sperate simul omnia, et timete.

AD ALFONSUM DUCEM CALABRIAE

H1\_16 v.1 Carae mollia Drusulae labella  
 2 cum, dux magne, tuis premis labellis,  
 3 uno cum geminas in ore linguas  
 4 includis simul et simul recludis,  
 5 educisque animae beatus auram,

6 quam flat Drusula pectore ex anhelō,  
 7 cui cedunt Arabes Syrique odores,  
 8 et quas Idaliae deae capilli  
 9 spirant ambrosiae, cum amantis ipsa  
 10 in mollis thalamos parat venire,  
 11 dic, dux maxime, dic, beate amator,  
 12 non felix tibi, non beatus esse,  
 13 non vel sorte frui deum videris ?  
 14 Idem cum tenero in sinu recumbis,  
 15 componisque genas genis, manusque  
 16 haeret altera collo et altera illas,  
 17 quas partis pudor abdidit, retractas,  
 18 mox, post murmura mutuosque questus,  
 19 post suspiria et osculationes,  
 20 imis cum resolutus a medullis  
 21 defluxit calor, et jacetis ambo  
 22 lassī, languidulique, fessulique,  
 23 ignorasque tuone Drusulaene,  
 24 tuus pectore spiritus pererret,  
 25 tuo an spiritus illius recurset,  
 26 uterque an simul erret hic et illic,  
 27 dic, dux maxime, dic, beate amator,  
 28 non sordent tibi regna, sordet aurum ?  
 29 Non unus tibi caelitem videris ?  
 30 Et cum lacteolo sinu quiescens  
 31 fessus languidulum capis soporem,  
 32 carpis dulciculum beate somnum,  
 33 non fallor, tibi, credo, dormienti  
 34 occurrit Charitum nitens figura,  
 35 occurrit Veneris decora imago,  
 36 miraris faciem, genas, capillum,  
 37 dentis, oscula, candidamque frontem,  
 38 nigra et lumina, paetulos ocellos,  
 39 colla et candida, vesculas papillas ;  
 40 at cum te placidus sopor reliquit,  
 41 reliquit Charitum nitens figura,  
 42 reliquit Veneris decora imago,  
 43 sola et Drusula lectulo remansit,  
 44 quas somnus veneremque gratiasque  
 45 ostendit tibi, quas quies sopora :  
 46 nonne his Drusula par tibi videtur ?  
 47 unamque has tibi Drusulam referre ?  
 48 Dic, dux maxime, dic, beate amator,  
 49 non credis simul et deas dolere,  
 50 atque uni tibi et invidere divos ?

SODALES INVITAT AD MARTINALIA

H1\_17 v.1 Martini sacer est dies. Abite,  
 2 curae pervigiles ; venite, somni ;  
 3 quicquid sollicitum, recedat a me,  
 4 dulces undique perstrepat cachinni ;  
 5 hac nil luce bibacius sit usquam,  
 6 nil his somniculosius tenebris.  
 7 Sed somnos pater excitet Lyaeus.  
 8 Festina, puer, i, Petrutianas

9 cellas ictibus usque verberato :  
 10 illas nam pater incolit Lyaeus,  
 11 illinc promito, quas volo, quietes.  
 12 Cretensis fluat hinc et inde bacchus,  
 13 hinc illinc liquor aureus Falerni ;  
 14 certent Massica caecubis racemis,  
 15 et levis Chios, ac severa Lesbos,  
 16 ac Vernacia Brutiis diotis ;  
 17 fundat regia Moroan Panhormus,  
 18 sed nec Corsica Barolumque gratae  
 19 Bacchi deliciae, aut madens Tarentum  
 20 non dulces mihi funditent lagenas ;  
 21 mitte et, Melphia, Clariana, mitte.  
 22 Muscatum mihi mittat haec, et illa :  
 23 raros postulat haec dies liquores,  
 24 nardo non sine myrteoque rore.  
 25 Tu Scalam pete non novum sodalem :  
 26 dic, e scriniolo sinuque amatae  
 27 uxoris mihi Cyprios odores,  
 28 Zebethi quoque proferat liquores.  
 29 Heu quod frigida me gravat senecta :  
 30 non, non haec sine vinnula puella  
 31 abiret mihi nox. Adest Lyaeus,  
 32 adest laetitiae pater ; valete  
 33 tristes excubiae, sopor venito ;  
 34 misce nunc cyathos, puer, repostos.  
 35 Sic somni pater imperat Lyaeus.

DE NUPTIIS IOANNIS BRANCATI ET MARITELLAE

H1\_18 v.1 Brancato Maritella copulatur.  
 2 Dulcis conjugii bonum sit omen,  
 3 sit felix simul et viro, et puellae,  
 4 et natis pariter, nepotibusque ;  
 5 nascatur similis puer parenti,  
 6 nascatur similis puella matri,  
 7 gratus Castaliae puer choreae,  
 8 grata et Dulichiae puella divae :  
 9 haec nos conjugibus bene ominemur.  
 10 Nunc qualis tibi sit futura pugna,  
 11 Brancate, accipias, novus maritus  
 12 cum sis, et nova cum tibi sit uxor.  
 13 Intras cum thalamum, quiete prima,  
 14 ne statim venias ad arma, dico,  
 15 sed blandis precibus jocisque blandis  
 16 pertentes aditum, cachinnulisque ;  
 17 misce his oscula, nunc petita blande,  
 18 nunc furtim tibi rapta, nunc negata,  
 19 quae per vim capias. Nec erubescas  
 20 mox ad lacteolas manum papillas  
 21 tractans injicere, ac subinde collo  
 22 impressum tenero notare dentem ;  
 23 nec non et tumidum femur latusque  
 24 tractabis niveum, manuque levi  
 25 ad dulcem venerem viam parabis,  
 26 nam dulcis veneris manus ministra est.

27 Post blanda oscula garrulasque voces,  
 28 dulcisque illecebras, jocosque molles,  
 29 post tactus teneros levesque rixas,  
 30 cum sese ad cupidos resolvit illa  
 31 amplexus, simul et timet, cupitque,  
 32 tunc signum cane, tunc licebit arma  
 33 totis expedias, amice, castris,  
 34 telum cominus hinc et inde vibrans,  
 35 dum vulnus ferus inferas amatum.

DE FANNIAE LABELLIS

H1\_19 v.1 Si quaeris Venerem Cupidinemque,  
 2 dulcis Fanniolae labella quaeras ;  
 3 hic sedem posuit suam Cupido,  
 4 hic laetas agitat Venus choreas.

LOQUITUR PUELLA FUSCULA

H1\_20 v.1 Quod sim fuscula, quod nigella, et ipsae  
 2 fusco in pectore nigricent papillae,  
 3 quid tum ? Nox nigra, fusculae tenebrae,  
 4 nocturnis colitur Venus tenebris,  
 5 optat nox Venerem, Venus tenebras,  
 6 et noctes Venerem tenebricosae  
 7 delectant, pueri in sinu locata  
 8 lusus dum facit improbasque rixas.  
 9 Ergo his in tenebris latebricosis,  
 10 his nos in latebris tenebricosis,  
 11 lecto compositi, quiete in una,  
 12 ductemus Venerem, toroque vincti  
 13 condamus tenebras, sopore ab ipso  
 14 dum solis Venus excitet sub ortum.

MORTEM SIBI IMPRECATUR OB ZELOTYPIAM

H1\_21 v.1 Quis haec, me miserum, labella suxit ?  
 2 Quis has, me miserum, genas momordit ?  
 3 Quis collo, ah miserum, notas reliquit ?  
 4 Quis ah, quis teneras sacer papillas  
 5 tractavit digitis manuque pressit ?  
 6 Quis candentia gutture ex eburno  
 7 accepit spolia ore, dente, labris ?  
 8 Quis felix animam, beatus udo  
 9 quis de pectore rettulit salivam ?  
 10 Quis o caetera, sed quis, ah quis ? Heu,  
 11 meme jam miserum juvat perire.  
 12 Quis stricto pugione pectus haurit ?  
 13 Hic, hic est dolor ense finiendus.

## TURTURES ALLOQUITUR SCISCITANS EAS DE AMORIS NATURA

H1\_22 v.1 Quae ramo geminae sedetis una  
 2 atque una canitis, vagae volucres,  
 3 una et gutture luditis canoro,  
 4 cum vobis amor unus, una cura,  
 5 unum sit studium et fidele amoris  
 6 (nostri nam variant subinde amores),  
 7 vos, blandae volucres, amoris instar,  
 8 exemplum fidei jugalis unum,  
 9 quae vis, obsecro, dicite, est amoris  
 10 tam constans male dissidensque secum ?  
 11 Nam, si pascitur e calore et igni,  
 12 cur, o cur miseri subinde amantes  
 13 frigescunt simul et tremunt, geluque  
 14 toto pectore sanguis obrigescit ?  
 15 Sin est frigida vis geluque ab ipso  
 16 horrescit simul omnibus medullis,  
 17 cur, o cur miseri subinde amantes  
 18 uruntur tacito calore et igni,  
 19 toto pectore sanguis ustulatur ?  
 20 Quaenam haec tam varians subinde vis, ut  
 21 alternis calor imperet geluque ?  
 22 Vos o dicite, blandulae volucres,  
 23 exemplum fidei atque amoris unum.

## DE FULGENTISSIMIS LUCILLAE PAPILLIS

H1\_23 v.1 Cum mollis digitos acumque miror,  
 2 miror artifices manus opusque,  
 3 inter fasciolas papillulamque  
 4 obliquis oculis repente vidi :  
 5 quid vidi, video, an videre credo ?  
 6 Sed certe video, en videtis ipsi  
 7 pulchro e pectore, gemmeis papillis  
 8 Lucillae radium refulxe solis.  
 9 Nox est conscia, quae repente luxit,  
 10 quaeque expalluit illico lucerna,  
 11 ad quam tum digitos movebat ipsa.  
 12 Quod ni fasciolae papillulisque  
 13 admosset teneram manum repente,  
 14 fulxisset roseus dies repente,  
 15 fulxissent mediam diem tenebrae.  
 16 Fert Lucilla diem sinu corusco, et  
 17 splendet pectore candidante solem.

## AD PETRUM SUMMONTIUM

H1\_24 v.1 Baianas petiit Neaera thermas,  
 2 Neeram sequitur Venus, Cupido  
 3 it matri comes, it Jocusque Amorque,  
 4 succedunt Charites, praeit Neaera.  
 5 Haec acres oculis jacit sagittas,  
 6 incensas Venus excutit favillas,

7 at suspiria suscitatur Cupido,  
 8 cit curas teneras jocus levesque  
 9 et risus movet et serit lepores,  
 10 torquet spicula, tendit acer arcum  
 11 innitens Amor, hucque et huc et illuc  
 12 spargit vulnera, funditat venenum ;  
 13 at blandae Charites canunt, levantque  
 14 curas sollicitas, linuntque plagas,  
 15 miscent et lacrimis jocos. Neaera  
 16 ipsa inter veneres cupidinesque  
 17 incedit dominans, regitque euntis,  
 18 et legem statuit deis deabusque.  
 19 O felix (mihi crede) Petre, felix,  
 20 cui formosa Neaera, cui Cupido  
 21 et Cypris favet, et favent Amores,  
 22 cui blandae Charites parant choreas,  
 23 et motus numeris modosque miscent.  
 24 O felix iterum et quater beate  
 25 Summonti, tibi lacteae puellae  
 26 praetendunt teneros sinus, Neaera  
 27 praefert oscula, mordicat labella.

## DE ALTILIO

H1\_25 v.1 Comptis Altilius placet puellis,  
 2 incomptae Altilio placent puellae,  
 3 iratam quia fecerit Dionem.  
 4 Cano candidior puella cygno,  
 5 quam totis amor insidens medullis  
 6 fulgentis pueri usserat calore,  
 7 oblatum sibi dum suaviari,  
 8 dum levi cupit hinc et inde collo  
 9 utraque et simul implicare palma,  
 10 hic trux Altilius reflectit ora,  
 11 et dextra cupidus manus repellit,  
 12 ac verbis ferus improbis minatur.  
 13 Tunc illa in miseros abit dolores,  
 14 et largus cadit imber ex ocellis,  
 15 torpent pectora, mensque, corculumque,  
 16 semi et mortua lectulo recumbit,  
 17 ultricem in puerum imprecata divam.  
 18 Incomptae Altilio hinc placent puellae.

## DE MARULLI AMORIBUS

H1\_26 v.1 Musae, quas admet meus Marullus,  
 2 aut siquae redament meum Marullum,  
 3 Musae, dicite, namque amare certum est.  
 4 Nosti delicias puellularum,  
 5 nosti quae veneres cupidinesque  
 6 argutis jaculatur ex ocellis,  
 7 quae spirat casiamque cinnamumque,  
 8 ministrat pharetram facesque Amori  
 9 pulchro pectore dia Septimilla ?

10 Haec illa est, quam adamat tuus Marullus,  
 11 quae contra redamat suum Marullum,  
 12 felix copula, mutui calores.

DE AMORIBUS FRANCISCI CARACIOLI

H1\_27 v.1 Quid Caraciolus meus sodalis,  
 2 quid Franciscus agit meus ? Caletne ?  
 3 Quid ni, cui tener ignis usque et usque  
 4 usque et mollibus ardet in medullis,  
 5 usque fulgidulis micat favillis :  
 6 crudelis pueri impias sagittas,  
 7 immanem pharetram dei minacis.  
 8 Absens uritur hic amans misellus,  
 9 absentis rapitur misellus igni,  
 10 ardenti miser ustulatur aura ;  
 11 at trux Harmosyne faces ministrat,  
 12 et ridet simul, et dolet querentem,  
 13 promittit simul, et negat roganti :  
 14 o quam difficiles gravesque amores.  
 15 Sed tu, si sapias, meus sodalis,  
 16 contemne Harmosynas Myrosynasque,  
 17 et dulcis tibi quaere Postumillas,  
 18 ad quas tu venias meridiator,  
 19 et nocturnus eas, eas diurnus ;  
 20 cum quis in socio toro quiescas ;  
 21 in quarum tenero sinu recumbas,  
 22 optatos capiens simul sopores  
 23 post gratam venerem levesque rixas,  
 24 cum sese improbulus remisit ardor,  
 25 languent corpora, succidunt ocelli,  
 26 e colloque graves cadunt lacerti,  
 27 et mutae reticent in ore linguae.  
 28 Tum felix (mihi crede), tum beatus,  
 29 tum lucas tibi fulxerint serenae,  
 30 tum noctes tibi luxerint beatuae.  
 31 Quaerunt ludere, non dolere amores.

AD STELLAM PUELLAM

H1\_28 v.1 Dum furtim mihi das negasque ocellos,  
 2 opponisque manum, simulque rides,  
 3 post hinc et variat color per ora,  
 4 et suspiria lassa sentiuntur,  
 5 stillatim mihi corda deliquescunt,  
 6 sudor tempora frigidus pererrat,  
 7 et passim tremor ossibus vagatur,  
 8 ut sensus animum repente linquant,  
 9 ut fiam miser et beatus una.  
 10 Sed jam plus solito nitescit aer,  
 11 jam lux candidior diem serenat :  
 12 cur ah, cur tenebrae repente nobis,  
 13 cur nox exoritur, nigrescit aura ?  
 14 An sentis, miser, an, miselle, sentis ?

15 Stella est ad speculam, refulxit in te :  
 16 solem lumina victa pertimescunt.  
 17 O claras medio die tenebras,  
 18 o lucem sine nube nigricantem.

## DE MARULLI MUNUSCULIS

H1\_29 v.1 Misit caseolos mihi Marullus,  
 2 cumque his versiculos venustiores,  
 3 quales Maenaliae canunt puellae  
 4 una cum gelido lavantur amne,  
 5 quales Aoniae canunt sorores  
 6 cum laetas agitant simul choreas.  
 7 Par est versiculis referre versus :  
 8 quid pro caseolis referre par est ?  
 9 Oranda est mihi blanda Septimilla,  
 10 ut pro caseolis velit referre  
 11 centum basiola et catulliana,  
 12 centum suaviola atque lesbiana.

## AD CHARITEUM

H1\_30 v.1 Sunt gratae in tenebris faces, in aestu  
 2 afflatus levior recentis aerae,  
 3 defessis sopor, instrepentis undae  
 4 languenti sonitus, sitique pressis  
 5 stillans e patera fluente lympha,  
 6 est grata et senibus quies merumque ;  
 7 nec aegro juveni sopor, nec aura,  
 8 nec rivus strepitans, quies, merumve  
 9 aufert tristitiam aut levat dolores,  
 10 sed risus tenerae procax puellae,  
 11 paetisque ex oculis remissa flamma,  
 12 afflat quae veneremque gratiamque,  
 13 sed dulces recreant leporis aerae,  
 14 et molles choreae, et modi canori.  
 15 Felix Endymion suoapte somno :  
 16 non curae vigiles amoris illum  
 17 torquent, sollicitudo nec diurna,  
 18 non suspiria garrulive questus,  
 19 quem caelo dea dum petit relicto,  
 20 dum Latmon petit et suos amores,  
 21 titillat placido toro jacentem,  
 22 sopito illecebras facit jocosque,  
 23 sopiti immoritur labris genisque,  
 24 parcit sed placidae tamen quieti.  
 25 At te balneolae tuae bearunt,  
 26 beavit Veneris sopora myrtus,  
 27 bearunt Charites deae ministrae,  
 28 e quis, o Charitee, nomen hauris.  
 29 Hae, dum balneolis frequens lavaris,  
 30 dum myrtos canis et canis Dionen,  
 31 et Lunae revocas per ora nomen,  
 32 illam composito toro locarunt



33 et laetam gelida stetero in umbra.  
 34 Effulxitque novo decore Luna,  
 35 ac nudis jubar extulit papillis,  
 36 cujus roridulo e sinu beatae  
 37 spirabant rosei liquoris aerae,  
 38 cujus de teneris fluens labellis  
 39 stillatim ambrosiae liquebat humor,  
 40 quo, myrtos ubi lectulumque et ipsum  
 41 afflavit, Zephyrumque ab ore civit,  
 42 in te delicias suas refudit,  
 43 refudit Cyprium et Syrum liquorem,  
 44 ac tecum viridi jocosa in umbra  
 45 tecumque Assyrio beata lecto  
 46 ludit Idaliae jocos palaestrae,  
 47 et tecum placida cubat quiete.  
 48 Felix balneolum, lavante Luna,  
 49 felicesque, dea jocante, myrti,  
 50 felix lectule, lusitante diva,  
 51 felices, Chariteo amante, Baiae.

AD MASIUM AQUOSAM

H1\_31 v.1 Ne tu ne pete balneas, Aquosa ;  
 2 quin molles jubeas valere Baias  
 3 et litus madidum ebriosque fontis.  
 4 Nil illis petulantius lacunis,  
 5 infractum magis impudentiusque.  
 6 O jam jam pete balneas, Aquosa,  
 7 et litus tepidum et lacus salubres.  
 8 Nil Baiis moderatius severis,  
 9 ad quas Palladius chorus migravit,  
 10 migravit studium pudoris omne,  
 11 migrarunt simul Attici lepores  
 12 atque artes itidem bonae migrarunt,  
 13 his postquam Hippolyte lavavit undis,  
 14 quam Musae erudiere, comitasque  
 15 fovit Mesopio sinu, decorque  
 16 atque una pudor arte temperarunt,  
 17 et virtus numeros suos per omnes  
 18 exornans solio suo locavit  
 19 reddentem populo patrique jura.  
 20 Hinc mores dominae sequuntur undae,  
 21 ut nil sit mage balneis severum,  
 22 nil Baiis moderatius sit ipsis.  
 23 Quocirca cole balneas, Aquosa,  
 24 et litus medicum atque aquas salubres,  
 25 quas et Pierides colunt puellae,  
 26 quis et se Cicero Maroque lavit.  
 27 Dum hic Anchisiaden canit vagantem,  
 28 ille Socraticos refert libellos.

DE ALFONSI DUCIS CALABRIAE ET ALBINI MUNUSCULIS

H1\_32 v.1 Nolo caseolos ducis tenacis ;

2 vani caseoli ducis, valete ;  
 3 ducis caseolos nihil moramur ;  
 4 ducis caseoli, valete, abite :  
 5 Albini volo dona liberalis.  
 6 Albinus mihi carduos Sicanos,  
 7 Albinus mihi salsulas olivas,  
 8 Albinus mihi mella succarumque,  
 9 quin et fasciculos dedit rosarum ;  
 10 promisit quoque Cyprios odores,  
 11 missurus quoque myrteos liquores.  
 12 Vani caseoli ducis, valete ;  
 13 nil jam caseolos ducis moramur :  
 14 Albini volo dona liberalis.  
 15 Albinum faciles ament puellae,  
 16 Albino faveat Venusque Amorque.  
 17 Alfonso Tetricae doment puellae,  
 18 Alfonso noceat Venusque Amorque,  
 19 sint et Drusula Drusulaeque ocelli  
 20 irati nimis atque saevientes ;  
 21 et cepas simul alliumque ructet,  
 22 siquando ad thalamum vocabit illum,  
 23 professus dare, qui mihi recusat,  
 24 paucos caseolos, inane donum.

## LIBER II

### AD MARINUM TOMACELLUM

H201 v.1 Et fontis calidos amant Camoenae,  
 2 et Musae calidis aquis lavantur,  
 3 et Musae placidos colunt recessus,  
 4 et dulcis numeros amant Camoenae,  
 5 et Musae choreis, choris Camoenae  
 6 traducunt rapidos per antra soles ;  
 7 et soles rapidi tepent per antra,  
 8 dum Musae placidas agunt choreas,  
 9 dum mollis agitant choros Camoenae.  
 10 Nobis tristitiae gravesque curae  
 11 mulcendae numeris, Marine, et inter  
 12 ludendum cyathos. Bene ominemur,  
 13 Pax est Italiae futura ; pacem  
 14 et vina et choreae et Venus sequuntur,  
 15 hac et balnea lege sunt colenda :  
 16 assitis, Charites, seni jocanti,  
 17 assis, Sirmio, o insularum ocelle,  
 18 assitis, cineres Catulliani,  
 19 cantu dum senium levo molestum.  
 20 Ne tu, ne calidas, Marine, thermas  
 21 intres cum tenera senex puella :  
 22 nil habet socium senex puellae,  
 23 a sene omnimodis puella differt.  
 24 Pro thermis paterae et merum, lagena

25 astet pro tenera tibi puella,  
 26 astet Melphiaci cadus lyaei.  
 27 Thermae nam juvenes decent, tabernae  
 28 Lenaeae invalidos senes. Is ipse es  
 29 arens, frigidulus, minutulusque,  
 30 cui pendet cucumis rigentque venae,  
 31 quae bacchum sitiunt madentiosem.  
 32 Amabo, puer, hos minutiores  
 33 irrorata calices ; Marine, sume ;  
 34 nam quotquot calices tibi propinas,  
 35 tot divos facies tibi propinquos :  
 36 haec sunt deliciae, haec senum voluptas.

#### AD ELISIUM GALLUTIUM

H2\_02 v.1 Blandis versibus, Elisi, jocamur,  
 2 blandis concinimus sonis amores,  
 3 et blandis animum modis levamus.  
 4 Mirum ? Blandus Amor, Cupido blandus,  
 5 et blandus Jocus est Leposque blandus,  
 6 sunt blandae et Charites Venusque blanda,  
 7 blandis templa deum sonis adimus,  
 8 et blandis precibus Jovem precamur,  
 9 lux blandissima temporum magistra.  
 10 Vale, saeve rigor, severitasque,  
 11 vale, durities Catoniana :  
 12 nil, blandum nisi, quaerit voluptas.  
 13 Tete si mihi, cara Fanniella,  
 14 in molli sociam dabis cubili,  
 15 in nostro venias sinu fovenda,  
 16 sic istaec tibi suxerim labella,  
 17 sic istas tibi suxerim papillas,  
 18 sic omnem tibi sanguinem resugam,  
 19 ut matri redeas dolor querenti,  
 20 ut quae te peperit nec ipsa norit  
 21 sucto gutture, pressulis labellis,  
 22 sucto pectore, sicculis ocellis.  
 23 Ac, ne pallia sint molesta nobis,  
 24 nudis corporibus cienda pugna,  
 25 nudo pectore, nudulis papillis,  
 26 nudo pectine, nudulisque coxis,  
 27 et nudis pedibus, genuque nudo ;  
 28 ac si fert patulis furor fenestris,  
 29 nulla ut vulnera in irritum petantur,  
 30 ut nulli in vacuum ferantur ictus.

#### DE ANDREA CONTRARIO

H2\_03 v.1 Dilexit juvenem Thalia, quem nunc  
 2 senem candida diligit Sophia ;  
 3 monstravit juveni Thalia cantum,  
 4 nunc seni sapientiam Sophia ;  
 5 cantavit juvenis modos Thaliae,  
 6 nunc senex sapientiam reponit.

7 O felix juvenis, senexque felix,  
 8 Contrari, o juvenem, o senem beatum,  
 9 quem doctus puerum erudivit Aon,  
 10 nunc senem erudiunt graves Athenae,  
 11 casto pectore, moribusque castis.

DE FOCILLAE PUELLAE OCELLIS

H2\_04 v.1 In tuis Amor insidens ocellis  
 2 mira coepit ab arte vulnerare,  
 3 nec suetas pharetra jacit sagittas,  
 4 nec tendit veterem recurvus arcum,  
 5 sed, cum lumina paetulosque ocellos  
 6 huc illuc agis et subinde rides,  
 7 istis utitur ille tunc sagittis,  
 8 istis corda quatit feritque amantum.  
 9 Isti spicula sunt facesque ocelli ;  
 10 quoscumque aspicias ipsa, vulnerantur.  
 11 Omnes vulnerat, aspicias quot ipsa,  
 12 omnes ustulat, ipsa quos tueris ;  
 13 isti sunt oculi faces Amoris.  
 14 At tu, ne pereas tuis ocellis,  
 15 in te neu propriis Amor sagittis  
 16 utatur, speculum, Focilla, vita,  
 17 ne, te cum in speculo vides probasque,  
 18 ex ipso speculo nigrisque ocellis  
 19 excussas Amor ingerat sagittas,  
 20 atque urare tuis misella flammis,  
 21 sit tibi et speculum, fuit quod olim  
 22 Narcisso vitrei figura fontis.

AD FOCILLAM, DE CAPILLIS AD FRONTEM SPARSIS

H2\_05 v.1 Quid sparsam digito comam reponis,  
 2 effusumque vage legis capillum ?  
 3 Anne ut excrucies, Focilla, amantem ?  
 4 Ut perdas miserum senem, puella ?  
 5 Ne tu ne, mea, collige, evagari  
 6 ad frontem sine, diffluat capillus  
 7 circum tempora ventiletque crinis,  
 8 auram qui pariat, faces ut ipsas,  
 9 blandis quas jacularis ex ocellis,  
 10 succendas agitans et huc et illuc,  
 11 extinctum ut revoces senis calorem.  
 12 Jam tu jam, mea, collige et repone,  
 13 crinem contege, subliga et capillum,  
 14 auram ne citet, exciatque flammis,  
 15 quae nostrum prope pectus ustularunt.  
 16 Vos, o vos, tenerae, precor, puellae,  
 17 quae myrtos et amaracum rigatis,  
 18 hoc vos, hoc miserum rigate pectus,  
 19 imis quod procul ardet ab medullis :  
 20 en flammis simul, en simul sagittas  
 21 ipsae cernitis ; hoc rigate pectus ;

22 et flammis simul, et simul sagittas  
23 ipsae extinguite et usque subrigate.

AD ANTONIUM GALATEUM

H2\_06 v.1 Inter Socraticos licet libellos  
2 atque inter studium decet sophiae  
3 miscere et teneros, amice, lusus,  
4 o novem Galatee lux sororum,  
5 atque idem Oebalii decus Galesi.  
6 Quare nec medicos lacus, nec hortos  
7 Baianos fuge, myrteumve litus.  
8 Myrtos nam Maro, balneas et inter  
9 Aeneam cecinit, petit profundi  
10 Ditis dum ostia, dum parentis umbras,  
11 et prolis seriem accipit futurae ;  
12 myrtos et Cicero tuus frequentans  
13 fontisque et celebris agros Sibyllae  
14 ornavit Latium potente lingua,  
15 detraxit spolia Atticae et Camoenae ;  
16 has Marcus coluit pater senatus,  
17 terrarum et dominus, parensque Romae,  
18 atque omnis sapientiae magister.  
19 Has cole et, Galatee ; nam severam  
20 quandoque et jocus addecet sophiam,  
21 et ludit sapiens, dies et ipsi  
22 et soles variant, itemque lunae,  
23 est et tristitiae lepor levamen,  
24 Baianis lepor et levamen undis.

AD FOCILLAM, DE COHIBENDIS OCULIS

H2\_07 v.1 Lascivos cohibe, Focilla, ocellos,  
2 ne perdas miseros videndo amantes ;  
3 summissos nec habe, Focilla, ocellos,  
4 ne perdas miseros pudendo amantes ;  
5 iratos quoque comprimas ocellos,  
6 ne perdas miseros minando amantes ;  
7 ne sponde faciles benigne ocellos,  
8 de spe ne perimas benigna amantes ;  
9 ne tingas lacrimis misella ocellos,  
10 luctu ne perimas misella amantes.  
11 Noli, crede, Focilla, crede, noli  
12 istos exerere, o Focilla, ocellos :  
13 isti quicquid agunt, Focilla, ocelli  
14 sunt incendia, sunt, Focilla, amantum,  
15 funus, crede, Focilla, sunt amantum.

AD FOCILLAM

H2\_08 v.1 Si rides, veneres, Focilla, rides,  
2 si cantas, veneres, Focilla, cantas,

3 et saltans veneres, Focilla, saltas ;  
 4 demum sunt veneres, Focilla, quicquid  
 5 ludisque et loqueris, facisque, agisque.  
 6 At cum nudula lectulo recumbis  
 7 inter delicias libidinesque,  
 8 tunc non es veneres, Venus sed ipsa,  
 9 Venus, ne dubita, Focilla, tunc es.

## AD FRANCISCUM PUCCIUM

H2\_09 v.1 Quid fontes calidos nemusque Avernum,  
 2 Pucci, quid medicos petis recessus ?  
 3 Baianos habitant sinus amores,  
 4 Baianum veneres colunt recessum,  
 5 Baianis Charites aquis foventur.  
 6 Adversis cupis an deis valere,  
 7 iratas tibi et excitare Baias ?  
 8 Quin, Pucci mihi care, care Musis,  
 9 cum primis Veneri Cupidinique  
 10 hoc sis, hoc age pro tua salute :  
 11 unam Sulpitiam precare, et uni  
 12 rem sacram facias, roges et unam,  
 13 stillet de roseis tibi labellis  
 14 tres ut ambrosiae benigna guttas,  
 15 spiret de teneris tibi papillis  
 16 afflatus totidem fragrantis aerae,  
 17 his risum adjiciat benigniorem.  
 18 Sic a Sulpitia salus petenda est,  
 19 uno quam liceat tamen parare  
 20 furtim basiolo repente raptio,  
 21 demorsis labiis, et ore hiulco,  
 22 spirantisque animae reflante flore.  
 23 Sic fient tibi balneae salubres :  
 24 una in Sulpitia salutis est spes.

## AD CONSTANTIAM

H2\_10 v.1 Insedere tuis apes labellis ;  
 2 in labris residens tuis Melissa  
 3 Hyblaeum liquat Atticumque rorem,  
 4 quem stillent Venus ipsa Gratiaequae.  
 5 O qui Castalios lacus, poetae,  
 6 quique et Thespiadum sititis amnes,  
 7 hinc et Castalii lacus liquores,  
 8 hinc et Thespiadum petatis undas,  
 9 has Constantia mollibus labellis  
 10 instillat, quibus Atticae Camoenae  
 11 rorarunt venerem suam charimque,  
 12 quae Musis comes et comes poetis.

## AD FOCILLAM

H2\_11 v.1 In somnis tenerum mihi labellum  
 2 offers dum male, suaviorque utrumque,  
 3 decursim lacrimae tibi exciderunt,  
 4 et largo faciem madore tinguis ;  
 5 atque has dum lacrimas madenti ab ore  
 6 detergo simul et simul relingo,  
 7 surreptim mihi mordicusque linguam  
 8 exceptam rapis obterisque dente.  
 9 Mox risum lacrimis jocosque miscens :  
 10 "Haec nos ludicra imaginesque noctis,  
 11 has, inquis, simul in die vicissim  
 12 et veras faciamus et probemus."  
 13 His te in iudicium voco fidemque :  
 14 en linguam tibi, porge mi labella.

## AD FOCILLAM

H2\_12 v.1 Ni reddis mihi vitreos ocellos,  
 2 caecae praesidium meae senectae,  
 3 an est, cur ego non tuis papillis  
 4 manus injiciam, trahamque prensas  
 5 usque ad basiolum, supina quod des,  
 6 quod des ipsa supina, quod supina  
 7 cervice excipias, quod ore hiulco,  
 8 quodque ipse eripiam tibi supinus ?  
 9 Atque illud moneo, supina vites,  
 10 ne lapsis pedibus ruas repente,  
 11 aut in scriniolo renisa restes.  
 12 Nam nec sat fuerit vocare matrem,  
 13 furtum aut reddere, supplicemve flere ;  
 14 sed nudo (mihi crede) crure, coxa,  
 15 nudo pectine et usque ad umbilicum  
 16 senem perpetiere verpulentum ;  
 17 et clames volo : "Reddo, reddo, reddo ! "  
 18 pro quo sic ego : "Subdo, subdo, subdo."

## AD FOCILLAM

H2\_13 v.1 Promissum mihi suavium dedisti,  
 2 quod mox, dum repetis revendicatum,  
 3 clauso in scriniolo obserans locasti.  
 4 Nunc furto quereris subinde plorans  
 5 subreptum tibi. Ne, puella, ne fle ;  
 6 vel triplex tibi suavium rependam,  
 7 unam si mihi lacrimam repones.

## AD FOCILLAM

H2\_14 v.1 Lascivos male temperas ocellos,  
 2 nec nostrae miseret tamen senectae.

3 Quantum vis juvenes ama foveque,  
 4 dum ne me fugias senem, puella ;  
 5 atque hos atque alios ames licebit,  
 6 dum ne me abjicias, puella, amantem.  
 7 Nolo delicias libidinesque,  
 8 amisi venerem libidinemque,  
 9 lascivos oculos volo, precorque.  
 10 Lascivos quotiens reflectis in me,  
 11 et rides simul et doles, ocellos,  
 12 inspiras juvenis mihi vigorem ;  
 13 quin omnem simul exuo senectam,  
 14 si ter blanda, Focilla, suaviaris,  
 15 si linguam tenero bis ore sugis,  
 16 si collo quoque complicata pendes.

AD FRANCISCUM PUDERICUM

H2\_15 v.1 Quid Baias, Puderice, quidve fontis  
 2 suspiras tepidos, amoris expers ?  
 3 Baias nam Veneres, Cypro relictas,  
 4 relictis Charites procul Cytheris,  
 5 desertis simul Uriis vetustis,  
 6 migrarunt, Amor et migravit una,  
 7 et blandus Jocus, et tener Cupido,  
 8 altrixque et juvenum et senum Voluptas.  
 9 Quod si tu, Puderice, vina, coenas  
 10 suspiras, cupis et sales procaces,  
 11 nimirum Capimontii recessus  
 12 praestent haec tibi, praestet et rosarum  
 13 cultrix Antiniana. Namque Baias  
 14 qui dulcis celebrant, ament necesse est.

AD FOCILLAM

H2\_16 v.1 Accedis quotiens sacras ad aedes  
 2 invisisque deos adisque templa,  
 3 tecum ne comitem, Focilla, Amorem  
 4 adducas moneo, domique clausum  
 5 servari in thalamo jube, caveque  
 6 ne divos hominesque Amore captos  
 7 ad rixam cieas vocesque ad arma,  
 8 et sis causa tuae volens rapinae.  
 9 Quid demens moneo ? Nec ipsa Amorem,  
 10 istis vulnerat usque qui ex ocellis,  
 11 invitum fugies, Amor nec ipse  
 12 tete deseret, aut comes relinquet,  
 13 regnum qui tenet in tuis ocellis.  
 14 Hos tu sed tenui, Focilla, velo  
 15 compressos tege molliterque vesti,  
 16 nubemque objice tenuiore vitta,  
 17 flammam ne jaculentur et sagittas.  
 18 Sic et calfacies, Focilla, amantes,  
 19 non ures tamen impotente flamma.  
 20 Quid tum, quid misero seni, calor quem



21 jam jam destituit, Focilla, fiet ?  
 22 Fiet quid misero seni, Focilla,  
 23 quem frigus prope congelavit omnem,  
 24 cui longe est opus ustulante flamma ?  
 25 Jam furtim misero reclude velum,  
 26 obliquis refice et, Focilla, ocellis,  
 27 furtivo et refove senem calore,  
 28 quo primam referet vigor juventam.

## AD FOCILLAM

H2\_17 v.1 E risu in lacrimas, Focilla, vertis,  
 2 avertis quotiens gravata ocellos ;  
 3 in risum e lacrimis, Focilla, mutas,  
 4 convertis quotiens benigna ocellos,  
 5 quis pacem geris et geris duellum,  
 6 quis et tristitiamque gaudiumque.  
 7 Cur, o cur tenebrae repente abortae ?  
 8 Cur lux destituit, dies nigrescit ?  
 9 Objecitne oculis Focilla velum,  
 10 et lucem obvolvitur tegente vitta ?  
 11 O jam detege, jam, Focilla, velum,  
 12 et vittam remove, et reclude ocellos,  
 13 quis lucem simul et diem ministras,  
 14 et lucem pariter diemque redde.

## AD PETRUM SUMMONTIUM

H2\_18 v.1 Ducit dum choreas Neaera, linquunt  
 2 et prata et virides agros Napaeae ;  
 3 pulsat dum citharam Neaera, currunt  
 4 ad plectrum Dryadesque Oreadesque ;  
 5 cantat dum ad numeros Neaera, cultae ad  
 6 cantum Naiades ruunt frequentes ;  
 7 miscent hinc thiasos. Neaera ducit,  
 8 et ducit simul et canit ; canenti  
 9 assurgit nemus assonantque ripae,  
 10 et litus resono fragore plaudit ;  
 11 plaudit caeruleis Avernis undis,  
 12 Gaurus de specula superbus alta  
 13 diffundit violas, rosas, cyperos  
 14 et myrti teneros thymique flores,  
 15 una et balnea consonant Neaeram.  
 16 Dic, o dic, age, Petre, quae voluptas,  
 17 quae mens tum tibi ? Non beatus esse,  
 18 non diis persimilis tibi videris ?  
 19 Quid, cum de Charitum manu capillum  
 20 ornata ambrosiae et comam liquore,  
 21 in te dulciculis tuens ocellis,  
 22 in te lacteolo sinu refusa,  
 23 instillat placidum tibi venenum  
 24 et vultu, et labiis, et ore hiulco,  
 25 an non invideant dii tibi ipsi ?  
 26 Non quod dii dederint, dedit Neaera,

27 indicas etiam ut diis duellum.

PETRUS SUMMONTIUS AD NEAERAM

H2\_19 v.1 Stillant de roseis tibi labellis  
 2 Hyblaei simul Atticique rores,  
 3 spirant de niveis tibi papillis  
 4 una Corytii Syrique odores,  
 5 vernos et Zephyros recentem et auram  
 6 afflas ambrosio, Neaera, ab ore ;  
 7 tecum ergo Syriam, Neaera, Hymetumque  
 8 ac defers Zephyri recentis auram ;  
 9 quin ipsas Charites, Neaera, et ipsam,  
 10 dum rides, Veneris refers figuram.  
 11 Istam sed remove, Neaera, dextram,  
 12 ne me, ne digitis, Neaera, mulce.  
 13 Istis articulis, sinistra et ista  
 14 quicquid contigeris, repente prurit,  
 15 et quicquid digito (ah miser, liquesco),  
 16 et quodcumque manu, Neaera, tractas,  
 17 imis intima pruriunt medullis.  
 18 Pruriturum digitis, Neaera, praefers,  
 19 pruriturum manibus, Neaera, misces,  
 20 prurigo tua dextera est, Neaera.

AD ANTONIUM GALATEUM MEDICUM

H2\_20 v.1 Gauranae, Galatee, te puellae  
 2 exspectant, calidis laves ut undis,  
 3 exspectat medicum salubre litus ;  
 4 laetentur medico jocante Baiae,  
 5 exsultent medico lavante thermae.  
 6 Qui risus tamen inde, qui cachinni,  
 7 senex herniolose, dum lavabis ?  
 8 Qui lusus tamen inde, qui lepores,  
 9 senex ventriculose, cum natabis ?  
 10 His nec te medicum dolere par est,  
 11 risus qui soleas ineptiores  
 12 ulcisci calido fluore ventri  
 13 injecto et liquidae madore malvae,  
 14 tum betae, atque oleo, et sale, atque melle.

AD PETRUM GRAVINAM

H2\_21 v.1 Mecum, si sapias, Gravina, mecum  
 2 Baias et placidos coles recessus,  
 3 quos ipsae et veneres colunt, et illa,  
 4 quae mentes hominum regit, voluptas.  
 5 Hic vina et choreae jocique regnant,  
 6 regnant et Charites facetiaeque,  
 7 has sedes Amor, has colit Cupido.  
 8 His passim juvenes puellulaeque

9 ludunt, et tepidis aquis lavantur,  
 10 cenantque, et dapibus leporibusque  
 11 miscent delicias venustiores,  
 12 miscent gaudia et osculationes,  
 13 atque una sociis toris foventur.  
 14 Has te ad delicias vocant Camoenae,  
 15 invitat mare myrteumque litus,  
 16 invitant volucres canorae, et ipse  
 17 Gaurus pampineas parat corollas,  
 18 quis cum dulciculae accubans Philenae  
 19 ad mensam calices madentiores  
 20 exsicces bibulus, citesque somnum.  
 21 Haec te, dum tenero in sinu quiescis,  
 22 dum lento caperis sopore, molli  
 23 amplexu foveat vocetque somnos  
 24 et cantu et numeris, strepente et aura,  
 25 componatque genis genas, et ori  
 26 os blanda admoveat, quiete et una  
 27 conjungat placidos et ipsa somnos.  
 28 Haec Baiae dederint tibi, Gravina,  
 29 haec capta illecebris tuis Philena,  
 30 his in deliciis ages beatus,  
 31 mecum dum placidos colis recessus.

INVITANTUR PUERI ET PUELLAE AD AUDIENDAS CHARITES

H2\_22 v.1 Ad myrtum, juvenes, venite, myrti  
 2 laetae dum Charites canunt sub umbra ;  
 3 ad myrtum, tenerae, simul, puellae,  
 4 ludunt dum Charites, venite, cultae ;  
 5 cantant dum Charites chorosque ducunt,  
 6 et sponsae et juvenes, favete linguis.  
 7 Indicit choreas Venus : puellae  
 8 immistae pueris agant choreas.  
 9 Indicit choreas Amor : juvenus  
 10 misti virginibus choros frequentent.  
 11 Libertas sua balneis tributa est ;  
 12 custodes abeant, senes valento ;  
 13 assint blanditiae ; valete, curae,  
 14 et rugae valeant severiores,  
 15 toto et litore perstrepant cachinni,  
 16 ipsa et balnea molliter susurrent  
 17 et lusus teneri et leves lepores.  
 18 Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.  
 19 Dum lux est, pueri puellulaeque,  
 20 exercete oculos simul procaces,  
 21 exercete jocos benigniores,  
 22 et suspiria grata blandiantur.  
 23 At dum nox silet et tegunt tenebrae,  
 24 in molli thalamo movete rixas,  
 25 amplexu in cupido ciete pugnas,  
 26 nullus sit lateri modus, pudorve,  
 27 certent oscula morsiunculaeque.  
 28 Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.  
 29 Nunc vos, nunc, tenerae, simul, puellae,  
 30 nobiscum, juvenes, simul, venusti,

31       dulcis ad numeros pedes movete,  
 32       nobiscum lepidos choros inite.  
 33       Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.  
 34       Mane roscidulis nitescit hortis  
 35       frondenti rosa ramulo recentem  
 36       afflans e foliis benigna odorem,  
 37       atque hanc horridulo colonus ungui  
 38       decerptam variaae implicat coronae,  
 39       vertitque in proprios odoris usus.  
 40       Manat roridulis fluens puellae  
 41       labris ambrosius liquor, fragratque  
 42       stillans Idalium per ora nectar,  
 43       ardor quo juvenum sitisque amantum  
 44       lenitur, socio simul cubili  
 45       jungunt dum cupidos sinus et una  
 46       miscent humidulas per ora linguas,  
 47       stillatque e roseis fluor labellis.  
 48       Hunc, hunc, o juvenes licentiores,  
 49       hunc florem legite, hoc liquate nectar ;  
 50       vobis ambrosii fluant liquores,  
 51       vobis Assyrii fragrent odores,  
 52       et suctis liquor effluat labellis.  
 53       Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.  
 54       Vos, o vos alios item liquores  
 55       haurite, atque alios, puellae, odores,  
 56       novas ambrosias, novumque nectar,  
 57       afflatusque animae fragrantiores ;  
 58       hos flores legite, has rosas liquate.  
 59       Vobis lectulus has rosas parabit,  
 60       spirans Assyriam simul Cyprumque,  
 61       hos flores simul et simul liquores  
 62       afflabit thalamus torusque cultus.  
 63       Hos ergo thalamos torosque, nuptae  
 64       et sponsae, colite frequentiores  
 65       compressu, illecebris, sale et cachinnis,  
 66       lusu et mollitie procacior ;  
 67       his rixas simul et jocos seratis.  
 68       Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.  
 69       Dens rixas moveat, procaxque dextra  
 70       et lites ciat et levis querelas ;  
 71       ast os et lepidos sales, et ipsae  
 72       linguae suaviloquos strepant susurros.  
 73       Admotae tepido sinu papillae  
 74       pacem concilient, jocosque paci  
 75       et lusus similes, jocisque verba,  
 76       amplexus similes et his et illis.  
 77       Libertas jubet hoc, Venusque, Amorque.  
 78       Sed jam sol rapidos movens calores  
 79       nos otii admonuit meridiani.  
 80       Quocirca, juvenes nurusque comptae,  
 81       post dulcis numeros, choris peractis,  
 82       ite hinc in thalamos meridiatum,  
 83       ite in gaudia mutuosque lusus ;  
 84       nullus deliciis modus sit ; ignem  
 85       succensum Idalia fovete lympha,  
 86       quo fessas sopor irriget medullas.  
 87       Hoc ipsa otia nam meridiana  
 88       et mulcens simul imperat voluptas,

89 hoc nati Veneris, Venusque mater.  
90 Ite, atque unanimes fovete somnos.

## DE IOANNE PARDO

H2\_23 v.1 Dulces balneolae tepensque litus  
2 ac Baiae eliciunt repente Pardum.  
3 Pardumne eliciunt repente Baiae ?  
4 Pardum num Venus, aut trahit Cupido ?  
5 Infirmam o sapientiam, cui ipsi  
6 praescribit Venus, imperat Cupido,  
7 et natus puer et puella mater.  
8 Ergo Maeoniae caput palaestrae  
9 ducetur Veneris superba pompa ?  
10 Ducetur pueri novus triumphus ?  
11 Spectatam o sapientiam omnis aevi.  
12 Baias jam properat meus sodalis,  
13 Baias mesopiae Cato sophiae  
14 et thermas petit. Euge, dulce litus,  
15 dulces balneolae lacusque havete,  
16 orbis deliciae, theatrum amantum.

## AD MANILIUM RHALLUM

H2\_24 v.1 Manli, deliciae Attici leporis  
2 atque idem Latiae lepos Camoenae,  
3 cantas dum teneros Lycinnae amores,  
4 et Coi numeris refers Philetae,  
5 dum molles Veneris reponis ignes,  
6 quos dulcis tibi suggerit Tibullus,  
7 nos, Manli, senio gravante pressi  
8 Miseni aut placidis vagamur oris,  
9 Baiarum aut calidis aquis lavamur,  
10 et cultis Genio fovemur undis,  
11 hortorum aut resides tenemur umbra,  
12 quos nostra Antiniana, quos Patulcis,  
13 ruris deliciae Maroniani,  
14 oblectant teneri lepore cantus,  
15 quos septem assiduis simul choreis  
16 illustrant Cypriae deae ministrae ;  
17 septem nam Venerem colunt puellae  
18 molles, dulciculae, leves, tenellae,  
19 formosae comites, decora pompa.  
20 Haec curas abigens molestiasque,  
21 jucundi memor et memor leporum,  
22 miscet delicias facetiasque,  
23 ludorum admonet, admonet jocorum  
24 atque ore ac teneris procax labellis,  
25 et circum omnia lusibus serenat.  
26 Illa et munditiem levesque cultus  
27 et curat nitidos beata comptus,  
28 unius studium nitelae, et unus  
29 ornatus amor elegantiaeque :  
30 ah labes valeat, valete, sordes.

31 Huic sola et species decorque solus  
 32 est curae, ratioque et una formae ;  
 33 spectari cupit undique, et probari  
 34 quis cultus deceat, colorque qualis,  
 35 qui comptus niveos honestet artus ;  
 36 omnisque in tenero decore cura est.  
 37 Hae gratae Idaliae deae ministrae  
 38 assistunt thalamo, coluntque divam,  
 39 hae gratae comites vagantur una,  
 40 atque una varias agunt choreas :  
 41 hinc nomen Charitesque Gratiaequae.  
 42 At paetis oculis, decente nutu,  
 43 gaudens Opsiglycaea, quaeque blandis  
 44 laetatur Chariotaris susurris  
 45 sollers illecebris, faceta dictis,  
 46 quae gratis animos jocis laccessit.  
 47 Diversas Veneri faces ministrant,  
 48 atque ignes variis fovent venenis,  
 49 et vel melle linunt, linuntve felle,  
 50 aut acri modo temperant dolore,  
 51 aut spe, laetitia ; modo ex utrisque  
 52 inspersos relinunt, simulque miscent  
 53 immite et placidum, nihilque linquunt,  
 54 quod sensus moveat vicesque amantum.  
 55 Hinc cantu tenero fide et jocosa  
 56 insignis Geloepa nobilisque,  
 57 risu et molliculis decens cachinnis,  
 58 atque exculpta sinum, comam repexa,  
 59 passu composito, decora gestu,  
 60 omnesque ad numeros modosque prompta  
 61 formosis Pasirhythmie lacertis,  
 62 hamatas acuunt manu sagittas  
 63 immitti puero, novantque tela,  
 64 quae mox Idaliis premunt lacunis,  
 65 tingunt et medico recocta succo.  
 66 Crudeles calami, truces sagittae,  
 67 cuspis quis adamantina ; ast inertes,  
 68 quis est plumbea vena. Ter beati,  
 69 felices quater hic et ille, quemque  
 70 fixit cuspidis aureae sagitta ;  
 71 infelix nimium malique fati,  
 72 haesit cui lateri aereum verutum.  
 73 Hic tot perpetietur ipse totque  
 74 artes, quot rapidae et levis puellae,  
 75 quotquot longo in amore sunt labores,  
 76 ut possit miser omnibus videri.  
 77 At, Manli, Paphiae tibi ministrae  
 78 strinxere aureolam liquore pennam  
 79 intinctam Cyprio. Hinc tibi Lycinna  
 80 et risu facilis benigna et ore  
 81 atque uni tibi se beata comit.  
 82 O felix amor, o poeta felix.

## DE FABIO LOPITANO

H2\_25 v.1 Quaeris qui Fabium Lopitianum,

2 illum quaerere desine in theatris,  
 3 aut urbis plateis, foro, aut palaestris ;  
 4 Musarum hic tacitos colit recessus,  
 5 et Pucci aediculas eis sacratas.  
 6 Illic Aonios legit libellos,  
 7 ediscens elegos Propertianos,  
 8 admirans numeros tuos, Tibulle,  
 9 et quos ad citharam refert Corinna,  
 10 aut magni ad lituos canit Maronis,  
 11 divini aut Ciceronis haurit artes,  
 12 curans Socraticae instituta vitae.  
 13 Hic quaeras Fabium Lopitianum.  
 14 Nam Pucci hospitium colunt Camoenae ;  
 15 Musarum Fabius colit recessus.

AD PETRUM PAULUM SARRANUM

H2\_26 v.1 Effingis veteres, Petre, et recentis  
 2 formas grammaticos, nec est juvenus  
 3 cui plus debeat ipsa, sive morum  
 4 mira simplicitate, seu bonarum  
 5 summa cognitione litterarum.  
 6 Idem, Paule, novos colis poetas,  
 7 observas veteres, facisque et ipse  
 8 versus ac numero venustiore,  
 9 nescis nec veteris larem sophiae.  
 10 Hunc ergo tibi, Petre Paule, nostrum  
 11 commendo Jovianulum quadrimum :  
 12 et matre ingenua indole et pudenti  
 13 hunc dignum institue et patre et Camoenis.

DE L. CORVINO EPISCOPO TRIVENTINO

H2\_27 v.1 Nymphae Gaurides accolaeque Averni,  
 2 quae fontes colitis salubriores,  
 3 Nymphae caeruleae decus lacunae,  
 4 quas Bacchus fovet et fovet Dione,  
 5 vos, nymphae, veteri et bono sodali  
 6 Corvino et tenera comam cypero  
 7 et molli viola et virente myrto  
 8 casta et tempora subligate lauru,  
 9 qua Phoebus sacer et sacer Camoenis  
 10 intret balnea cognitus sacerdos ;  
 11 Corvino et nemus assonent et aurae,  
 12 tota et litora sentiant poetam.

AD MARINUM TOMACELLUM ET PETRUM COMPATREM

H2\_28 v.1 Annos sex novies, Marine, amici  
 2 una viximus integello amore ;  
 3 annos tot pariter quiete et una  
 4 terni, Compater, egimus, nec ullas

5 sensit noster amor per haec querelas,  
 6 exemplum fidei atque amoris unum.  
 7 Hanc mentem, hos animos sibi requirunt  
 8 Lucrinae quoque balneationes,  
 9 hanc legem et cyathi frequentiores.  
 10 Quare hoc nunc agite, o mei sodales :  
 11 aequatis numeris, tenore eodem,  
 12 scyphos tergeminemus et trientes.  
 13 Sit triplex acies, triplexque Mavors,  
 14 ac Marte in medio, calente rixa,  
 15 ternas, i, puer, evoca et puellas,  
 16 nostram ut calfaciant simul senectam,  
 17 quaeque inter pateras, furore in ipso,  
 18 pacis commoneant serantque lusus,  
 19 interque oscula mollibus labellis  
 20 includant animae senilis auras,  
 21 contingantque animae virentis aura.  
 22 Haec est illa, Marine, lenis aura,  
 23 flat quae de tenerae sinu puellae,  
 24 qua mulcet juvenum Venus calores,  
 25 senum et frigida corda confocilat.

## AD UXOREM

H2\_29 v.1 Oblita es thalami torique nostri,  
 2 o fallax senii mei levamen,  
 3 conubii immemor immemorque amorum,  
 4 o fallax amor, o nihil fidele.  
 5 Ergo sub tremula miser senecta  
 6 a te destituor, mihi nec ipsa  
 7 in somnis veniens levas senectae  
 8 ipsius gravidas dolore curas,  
 9 natum nec memorem senis parentis,  
 10 ah dura, esse sinis. Valete uterque.  
 11 Has vobis sine perferam procellas  
 12 languens, frigidus, atque destitutus.  
 13 Vana o nomina, spesque liberorum,  
 14 heu res conjugii parum fideles.

## DE ANNIBALE FAMATIO IN BALNEIS

H2\_30 v.1 Dic, o dic, puer, Hannibalne lavit ?  
 2 Lavit, sed latitat puellae in ulnis.  
 3 Hic Famatiolus latet litatque,  
 4 persolvens Veneri sacrum, quod olim  
 5 vovit pro tenerae salute Hyellae.  
 6 Tu ne pollue sacra, neve turba.  
 7 Verum ipsas Charites videre fas est,  
 8 una dum violas regunt rosasque,  
 9 et gratas Veneri parant corollas.  
 10 Mollis en digitos, manus tenellas ;  
 11 ecquis de niveis nitor papillis ?  
 12 Quaenam ore e roseo refragrat aura ?  
 13 Jam Famatiolum litasse verum est.



## DE FEDERICO REGE AD BALNEAS ACCEDENTE

H2\_31 v.1 Quid, quod plus solito serenus aer,  
 2 et gramen viret, et nitescit arbos ?  
 3 Quid, quod plus solito canunt volucres,  
 4 cantant gutture leniore cygni,  
 5 Procne et lugubrioribus querelis ?  
 6 En spirant Zephyri salubriores,  
 7 et rident pelago silente arenae,  
 8 nullo et murmure litus obstrepescit ;  
 9 en ducunt choreas per arva nymphae,  
 10 et Musae numeris suis sequuntur,  
 11 ipsa et balnea perstrepunt cachinnis.  
 12 An non, adveniente Federico,  
 13 ipsa et balnea molliter cachinnent,  
 14 ipsa et litora suaviter susurrent ?  
 15 Agnoscunt dominum suum lacunae,  
 16 regem balneolae suum salutant,  
 17 assurgunt et hero suo liquores.  
 18 Adventat decus elegantiarum,  
 19 et flos advenit omnium leporum ;  
 20 illum deliciae sequuntur omnes,  
 21 illum munditiaeque gratiaeque  
 22 et sceptro species potente digna.  
 23 Ne ne, balneolae, timete, ne ne  
 24 Mavortem socium trucesque vultus,  
 25 Mavortem socium nihil timete ;  
 26 jussa nam timet ipse Federici  
 27 paretque imperio, et veretur illum.  
 28 Felices, domino lavante, thermae,  
 29 felices et, hero jocante, Baiae,  
 30 o felix, spatiant rege, litus.  
 31 Myrti, dicite : "Io, euge Federice,  
 32 euge, io, canite, euge Federice."

## DE MARTE IN BALNEIS LAVANTE

H2\_32 v.1 Marsne in balneolis ? Valete castra.  
 2 Marsne et ipse lavat ? Valete bella.  
 3 Cumque illo est Cytherea ? Pax adesto.  
 4 Hoc sors imperat ipsa Federici.  
 5 Tu vero, Venerilla, dulce caeli  
 6 et terrae decus, unicum et levamen,  
 7 mollis illecebras decoro amanti,  
 8 blandos Marticulo tuo susurros  
 9 fac, et delicias, libidinesque,  
 10 misce et suavia, junge dulce murmur.  
 11 His lusus adhibe beatiores ;  
 12 mox tinge ambrosio liquore fessum,  
 13 somnus quo placidus per ossa serpat,  
 14 et belli rapidus furor quiescat.  
 15 Hoc, hoc te rogat ipse Federicus.

## DE BATILLA

H2\_33 v.1 Lavit delictum meum, Batilla ;  
 2 laverunt Charites simul ; Venusque  
 3 intrans balneolum lavatque, et haeret,  
 4 quae sit de numero choroque quarta,  
 5 quatenam sit Charis exera aut puella,  
 6 unus cum decor esset, una forma.  
 7 Dumque haeret dubitans, et hanc, et illam  
 8 per risumque jocumque suaviatur,  
 9 spiravit roseo Batillae ab ore  
 10 fragrans ambrosii liquoris aura,  
 11 quae jam de Charitum coma suesset  
 12 spirare, artificii manu repostata,  
 13 stillatim et medico liquore tincta.  
 14 Tunc ridens Cypris : "Exera o puella,  
 15 vicisti Charites meas, ab arte  
 16 quis spirat coma, cum tibi e labellis  
 17 stillent ambrosiae perennis aerae."

## DE CARBONE LAVANTE IN BALNEIS

H2\_34 v.1 Cur ille in fluidis calescit undis  
 2 Carbo ? Cur fluidus liquor coruscat ?  
 3 Carbo cur tepet ? Incalescit unda ?  
 4 An non et Venus e liquore nata  
 5 ignescit face ? Vis amoris haec est.  
 6 Ergo balneolis meus sub ipsis  
 7 Carbo aut aestuat impotente flamma,  
 8 aut rursum nimio e gelu tepescit,  
 9 ut frigus modo, nunc calor recurset.  
 10 Tabet nobilitas amore victa.  
 11 Tu vero, Theonilla, dum lavaris  
 12 ferventem simul et simul tepentem  
 13 Carbonem cole, sic tibi e capillo  
 14 stillent semper amoma, sic ab ore  
 15 spirent ambrosiae liquentis aerae.

## AD MARINUM TOMACELLUM

H2\_35 v.1 Et vino Venus, et viro puella,  
 2 et ludo juvenis, senex quiete,  
 3 et gratis animus jocis fovetur.  
 4 Quocirca cole balneas, Marine.  
 5 Hic vina, hic requies senem jocusque  
 6 effertum foveant : manus procaces  
 7 ludent in venerem, Venus sed ipsa  
 8 assit rancidulo seni. Puella,  
 9 postquam obdormieris, parem requirat  
 10 quicum lusitet excitetque pugnam,  
 11 et rixas agitet ferociore.  
 12 Nam tactu et querulo venus susurro

13 exercenda seni : senex papillas  
 14 contrectet digitis, jocetur ore,  
 15 voce et pruriat et gemat senile.  
 16 Hoc tantum liceat. Juventa nervis  
 17 et tento valet et valet duello ;  
 18 haec ergo juvenis movebit arma.  
 19 Ast lingua et digitis valet senectus,  
 20 et lingua et digitis senex tuendus,  
 21 et lingua et digitis venus fovenda.  
 22 Has te delicias movere oportet ;  
 23 et vina et venerem et suam quietem  
 24 instillent tibi balneae salubres,  
 25 infundant tibi thermulae beatae :  
 26 his ludis animus senis levandus.

## AD TERINNAM

H2\_36 v.1 Tecum, si liceat, velim, Terinna,  
 2 (me tussis licet et premat gravedo)  
 3 tecum has frigidulas fovere noctes.  
 4 O noctes mihi ter quater beatas,  
 5 o somnos sine fine prurientes,  
 6 me cum sub tepido, Terinna, lecto,  
 7 me cum sub teneris fovebis ulnis,  
 8 me cum roscidulis procax labellis  
 9 et suges simul osculaberisque.  
 10 O noctes mihi ter quater beatas.  
 11 Ne tu, ne digitis, Terinna, saevi,  
 12 ne saevi aridulo, Terinna, dente.  
 13 Ah quid pallia lectulo excidere ?  
 14 Ah quid lectulus ipse subtremiscit ?  
 15 Ne saevi, rogo, ne, Terinna, saevi.  
 16 Sic, sic, o mea, saevias licebit,  
 17 hac mecum ratione litigato :  
 18 nunc vinci patiare, nunc repugna,  
 19 et nunc oscula porge, nunc negato,  
 20 nunc risum lacrimis jocisque fletum  
 21 misce, et dulcia verba tinge amaris.  
 22 Haec cum feceris, o Terinna, mox te  
 23 ad lusus placidos resolve mecum,  
 24 complexa et teneris senem lacertis  
 25 ludas delicias venustiores,  
 26 dicas blanditias procaciores,  
 27 fingas nequitiam proterviozem,  
 28 et ludos, age, fac licentiores,  
 29 et noctem quoque duc amantiorem,  
 30 dum lassus sopor instet ex ocellis.

## AD SUARDINUM SUARDUM

H2\_37 v.1 Et noster quoque balneas frequentat  
 2 Cumanum colit et sinum Suardus.  
 3 Adeste, hendecasyllabi, lavanti,  
 4 Romano et sale et Attico lepore

5 mulcete et placidos sinus legentem,  
6 et cantu et numeris Catullianis.  
7 Ne tu, ne, mea Sirmioni, desis  
8 intactos calamis modos referre,  
9 o blandis comes atque amica cygnis ;  
10 dic, o dic aliquid meo Suardo  
11 quod dulce et lepidum, quod et venustum.  
12 Sic nostra Antiniana, sic Patulcis  
13 nunquam non roseas tibi corollas,  
14 nunquam non tibi myrteos liquores  
15 gratae sufficiant, et usque laetas  
16 Sebethus salicum ministret umbras.  
17 "Regnabat Veneris puer, jugoque  
18 heroas, superos, Jovemque et ipsum  
19 victor subdiderat, coegeratque  
20 victos servitium pati superbum :  
21 supplex Acrisii ad fores jaceret  
22 regnator superum, futurus imber,  
23 ductaret niveos greges Apollo,  
24 Amphryso teneras levante curas,  
25 Neptunus liquidos subiret amnes,  
26 Eleae foveat sinum puellae,  
27 esset Persephone rapina Ditis,  
28 ludus Mars Veneris, senex equinos  
29 ah divum pater induisset armos,  
30 ire ad Latmidas osculationes  
31 ornato properaret ore Luna.  
32 Ergo hinc, vulnifico superbus arcu,  
33 prostratorque hominum deumque victor  
34 et terrae domitor puer polique  
35 ausus Pallada Palladisque pectus  
36 intorto penitus ferire telo,  
37 innixusque humeris, manu, genuque,  
38 lunato jaculum tetendit arcu  
39 irato minitante vulnus ictu.  
40 Avertit dea tortiles sagittas,  
41 ac vanas jaculi refregit iras  
42 praetenta aegide, Gorgonisque crine.  
43 Quo viso, pueri repente ocelli  
44 afflati tacito veneno ibidem  
45 obducunt tenebras, vocatque matrem  
46 infelix puer, obtegitque vultum,  
47 et flens lumina capta pergravatur  
48 infelix Amor, abdit et pharetram.  
49 Ah maerens Amor, ah puer miselle,  
50 et caecus simul atque inermis erras ;  
51 ah terrae domitor, simulque caeli,  
52 rideris pariter diis virisque,  
53 imbellis pariter puerque Amorque,  
54 infelix iterum puer deusque.  
55 Delapsae interea polo sagittae  
56 jussu Palladis aegidisque tractu,  
57 quae fixae steterant, rotante penna,  
58 saxosi procul Anxuris recessu  
59 subsidunt parili simul ruina.  
60 Hic illas dea vertit in virentis  
61 silvam suberis, ac referre jussit  
62 atro cortice fungidisque venis

63 conatus fragiles minasque inanis  
64 et vanos sine viribus tumultus.  
65 In fungos igitur repente versae  
66 egerunt faciles solo meatus,  
67 egerunt teneras repente fibras,  
68 mox sese tenues agunt in auras,  
69 surguntque in solidum subinde robur,  
70 scabro cortice, fungidisque libris,  
71 quo post in soleas pedumque in usus  
72 vertant opprobrium perenne Amoris.  
73 Quid saevis, dea ? Quid fremens minaris ?  
74 Aut cur aegida concutisque parmam ?  
75 Nam mater pueri dolore victa  
76 Phoebum consuluit. Recludit ille  
77 fatorum seriem, docens salutem  
78 Baianis fore fontibus petendam.  
79 Quod mox contigit, annuente fato.  
80 Cumanos puer ut sinu pererrans  
81 intravit placidos lacus, et ipsis  
82 lavit fontibus ac calente lympa ;  
83 ter fovens oculos puer lavabat,  
84 ter natans puer ora surrigebat :  
85 illi candida lux repente fulxit,  
86 fulxerunt nitidae ad latus pharetrae,  
87 effulxit nitor aureus metalli,  
88 fulxerunt nitidi lacus sinusque,  
89 fulxit plus solito serenus aer,  
90 et toto micuere litore undae.  
91 Tum felix Amor et puer deusque  
92 tinxit spicula fervidis in undis,  
93 mox laeto pariter salutat ore :  
94 "Salvete, o liquidi lacus et undae,  
95 salvete, o latices mihi salubres,  
96 o salve, mihi Tulliana lympa,  
97 de cuius merito resumo tela,  
98 cuius munere et hic resurgit arcus.  
99 Quo sitis memores meae salutis,  
100 hocque ut secula posterique norint,  
101 quae vis est mihi, quae meis sagittis,  
102 haec ipsa et tibi sit salubris unda ;  
103 quae vis est mihi, quae meae pharetrae,  
104 sit vobis, latices bonaequae thermae.  
105 Mecum vos pariter fovete amantes,  
106 et curas juvenum et puellularum ;  
107 mecum hos et capite et tenete captos  
108 gratis illecebris leporibusque ;  
109 numquam blanditiae jocique desint,  
110 et numquam choreae levesque cantus,  
111 semper desidiae libidinesque  
112 et cenae et lepidi sales et ipsae  
113 assint nequitiae, procaxque lusus,  
114 o dulces mihi balneae et salubres,  
115 dulces balneolae venustulaeque.  
116 Ipsa et litora et ipsi ament recessus,  
117 et tellus amet, atque ament lacunae."  
118 Dixit ; mox residem tetendit arcum,  
119 et strinxit volucres manu sagittas,  
120 quis et flumina fixit et paludes,

121 et colles simul, atque opaca lustra.  
 122 Confestim volucres simul feraeque  
 123 et pisces simul in furorem adacti  
 124 senserunt pueri trucem pharetram,  
 125 senserunt silvaeque flosculique,  
 126 Baianis Amor ipse ut insit undis."  
 127 Haec ludens mihi Sirmionis. At tu  
 128 sic nostras cole balneas, Suarde,  
 129 sic nostri lege litoris recessum,  
 130 ut leges teneas Amoris, ut te  
 131 et litus sciat et sciant lacunae,  
 132 et colles quoque sentiant te amare ;  
 133 qui Baias colis, et colas amores.

AD HENDECASYLLABOS

H2\_38 v.1 Avete, hendecasyllabi, meorum,  
 2 avete, illecebrae ducesque amorum,  
 3 avete, o comites meae senectae,  
 4 ruris deliciae atque balnearum.  
 5 Sit lusum satis et satis jocatum,  
 6 et finem lepidi sales requirunt,  
 7 est certus quoque terminus cachinnis.  
 8 Ergo qui, juvenes, meas legetis  
 9 nugas, qui tenerae jocos Thaliae,  
 10 optetis cineri meo quietem :  
 11 "Sit tellus levis, et perenni in urna  
 12 non umquam violae rosaeque desint,  
 13 tecumque Elysiis beata campis  
 14 uxor perpetuas agat choreas,  
 15 et sparsim ambrosii irrigent liquores."  
 16 Sic vobis in amore nil amarum,  
 17 nil insit nisi dulce, sic amando  
 18 et noctes pariter diesque agatis,  
 19 assistat lateri et comes voluptas.